

Antoine de Saint-Exupéry

Principulus

Der kleine Prinz auf Lateinisch

Reclam



Antoine de Saint-Exupéry
Principulus
Der kleine Prinz auf Lateinisch

Reclam



Antoine de Saint-Exupéry

Principulus

Der kleine Prinz auf Lateinisch

Mit Zeichnungen des Autors

Aus dem Französischen übersetzt von Franz Schlosser
Mit der deutschen Übersetzung von Ulrich Bossier

Reclam



Cum avium peregrinarum grege e stellula sua eum evolavisse suspicor.

2015 Philipp Reclam jun. GmbH & Co. KG, Stuttgart

Gesamtherstellung: Reclam, Ditzingen.

Made in Germany 2017

RECLAM ist eine eingetragene Marke der Philipp Reclam jun. GmbH & Co. KG, Stuttgart

ISBN 978-3-15-960654-5

ISBN der Buchausgabe 978-3-15-019274-0

www.reclam.de

Inhalt

[Principulus](#)

[Anhang](#)

[Der kleine Prinz](#)

[Nachbemerkung](#)

[Hinweise zur E-Book-Ausgabe](#)

Leoni Werth

Rogo mihi ignoscatis, pueruli puellaeque, quod hunc librum ad hominem adultum inscripsi. Hoc autem excusatione deprecor: Homo adultus ille mihi omnium gratissimus et amicissimus est. Alteram excusationem habeo: adultus ille homo omnia intellegit, et libros intellegit liberorum causa scriptos. Tertiam excusationem habeo: Homo adultus ille in Francogallia habitat, ubi friget fameque urgetur. Quam ob rem puto eum consolandum esse. Nisi quidem hae omnes excusationes sufficient, hunc libellum puero dedicabo, qui olim fuit homo ille adultus. Omnes enim homines adulti primum pueri fuerunt. (Cuius rei pauci autem memores sunt.) Qua de causa, quae dedicavi, ita corigo:

Leoni Werth puero




Caput primum

Die quodam, cum sex annos natus essem, in libro de silva vetusta, qui liber »Fabulae verae« inscribitur, imaginem mirificam vidi. Boa serpens picta erat, quae beluam hauriebat. Hic imaginem depictam vides.

In libro hoc scriptum erat: »Boae serpentes praedas suas integras devorant nec dentibus lacerant. Quo facto non iam moventur et per sex menses, quibus pastum concoquunt, dormiunt.«


Multum mecum cogitabam de periculis, quae in silva vetustissima imminent, et ego ipse plumbis versicoloribus primam picturam perfeci. Prima pictura mea talis erat:



Quod artificium hominibus adultis ostendi et ex iis quae sive num picturae meae adspectu pertubarentur.

Mihi responderunt: »Curnam terrarum pilleus terrorem iniciat?«

Sed pilleus minime pinxeram. Boam serpentem pinxeram, quae elephantum concoquebat. Interiorem partem boae serpentis igitur pinxeram, ut homines adulti magis intellegere possent. Eis enim semper omnia explicanda sunt. En alteram picturam:



Adulti homines mihi hoc consilium dederunt: »Nec externa nec interna serpentium pingere! Potius geographia, historia, mathematica, grammatica tibi curae sit.« Itaque, cum sex annos natus essem, pictoris praecipue cursus vitae sequi desii.

Cum pictura prima et pictura secunda haud prospere evenerint, spem laudem pictoris mihi parandi abieci. Adulti homines per se numquam intellegunt. Pueris puellisque molestum est etiam atque etiam omnia plana facere.

Aliam artem igitur elegi: Didici aëroplana gubernare. Huc et illuc, totum per orbem terrarum volabam geographiam in meam utilitatem vertens. Primo adspectu fines Sinae Arizonaeque dignoscere poteram: quod aeronautae, qui nocte de via aberravit, magnam utilitatem affert.

Sic in vita cum multis hominibus severis et auctoritate praeditis congressus sum. Saepe occasio mihi praebita est ad vivendum et colloquendum cum adultis hominibus. Quod autem opinionem meam de eis haud amelioravit.

Quotienscumque adulto homini obviam fiebam, qui ingenii acumine praeditus mihi videretur, ei primam imaginem pictam, quam semper diligenter servabam, monstrabam. Scire volebam, num revera aciem ingenii haberet. Iterum iterumque autem adulti homines mihi respondebant: »Pilleus est.« Quo auribus percepto ego cum adultis hominibus nec de bois serpentibus nec de silvis vetustis nec de stellis loquebar. Loquebar cum his de rebus, quas facilius intellegent, ut, exempli gratia: de ludo chartulario (lingua Britannorum *Bridge* appellato), de pilae malleique ludo, de re

politica, de focalibus Croatis. Adulti illi laetabantur, quod virum tam sapientem convenissent.

Caput alterum

Vitam solus igitur vivebam neminem habens quocum sincere colloqui possem usque ad hunc diem sex annos ante, quo die in locis desertis Sahara appellatis aëronavis mea defecit. Pars machinamenti motorii rupta erat. Cum neque machinamentorum motoriorum reparator neque vectores in aëronavi essent, conatus sum, ut solus motorium vitiosum reficerem – quod opus haud facile erat. Vita mea salusque in discrimen vocabantur. Nam aqua potus praebens octo dierum maxime satis erat.


Primo igitur vespero in arena iacens somno oppressus sum duo milia chiliometrorum ab omni colonia remotus. Desertior eram naufrago, qui medio in vasto oceano rate vehebatur. Fingite quantopere obstupefactus sim, cum tempore sublucano mira vocula e somno me excitaret hoc dicens:

»Pingi mihi, amabo te, ovem!«

»Quid!?«

»Pingi ovem ...«

Prosilui quasi fulmine tactus essem. Oculos perfricui, diligenter circumspexi. Mirum puerulum conspicatus sum, qui severis oculis me lustrabat. Imago eius, quam hic vides, omnium postea pictarum longe optima est. Sed pictura mea multo minus delectabilis quam puerulus ipse, quod non est mea culpa, sed adulorum hominum, qui me parvulum sex annos natum ab arte pingendi deterruerunt, quamobrem nil aliud nisi serpentium externa atque interna pingere didici.



Imago eius, quam hic vides, omnium postea pictarum optime expressa est.

Oculis stupentibus igitur illam speciem adspexi. Memento me duo milia chiliometrorum ab omni regione culta remotum fuisse! Puellus neque itinere deerravisse videbatur neque fatigatione confectus neque fame enectus neque siti neque timore. Qui nullo pacto puer videbatur, qui mediis

in desertis versans via deceptus erat duo milia chiliometrorum ab omni regione culta. Denique eum contente allocutus sum:

»At ... quidnam terrarum hic agis?«

Et ille voce gravi placidaque iterum, quod iam dixerat:

»Ping mi, amabo te, ovem ...«

Re arcana nimis commotus obloqui non ausus sum. Ut absurdum hoc mihi in vitae periculum vocato videretur, qui milia chiliometrorum abessem ab omni loco culto, tamen de sinu chartulam stilographumque deprompsi. Sed recordatus sum me imprimis geographiam, historiam, mathematicam, grammaticam didicisse puelloque aliquantulum male affectus dixi me artis pingendi peritum non esse. Tum ille:

»Nihil refert. Pinge ovem.«

Cum numquam ovem pinxissem, pinxi unam ex duabus imagunculis, quas solas pingere sciebam: opertae, nimirum, boae formam. Obstupratus sum, cum parvulum hoc respondentem audivi:

»Non! Nihil sane! Nolo elephantum in boa serpente absconditum. Boa enim valde periculosa, elephantis eximiae magnitudinis est. Domi meae omnia parva sunt. Ovem habere desidero. Ping mihi ovem.«

Igitur pinxi.



Attentissime me contuebatur. Tum ille:
»Non! Ista graviter aegrotat. Pinge aliam.«
Pinxi.



Amicus meus leniter subridens mihi ignovit:
»Certe, ut puto, vides ... hanc non ovem sed arietem esse! Cornua
habet ...«
Picturam denuo feci.